



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 62. Sententia contra utriusque oppidi incolas lata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. mos erigebant, ac in fratrum numero il-  
A.C.1544. los, qui Protestantes vocabantur, habe-  
 bant, eorumque Doctores accersebant, ut ab illis novæ hujus sectæ præcepta addiscerent. Inde factum, ut crescente suorum numero hæresin, quam a suis Majoribus hauserant, palam profiterentur, arctamque cum Lutheri Sæctatoribus, qui in Germania erant, amicitiam foverent, vicissim vero iisdem Protestantes identidem suos submittebant Ministros, qui illos adhuc magis in errore firmarent, atque ad novam doctrinam ibidem publice prædicandam accenderent. Attamen Provinciæ Senatores huic malo obicem ponere totis viribus adlaborabant; verebantur enim, ne præfati hæretici proxime seditionem essent conflaturi: quapropter Procuratore Generali id postulante una omnes comparere jubentur, præsentem Bartholomæo Chassaneo celeberrimo Jurisconsulto, qui tum primi Præfulis munere fungebatur.

## §. LXII.

*Sententia contra utriusque oppidi incolas lata.*

*Thu. hist. l.c.* Verum accusati sprete citatione comparere neglexerunt, eoquod eorum amici eisdem auctores exstitissent, ne morem gererent, nisi vivi comburi mal-  
 lent,

lent, quapropter die decima octava No-  
 vembris anno post Christum natum mil-  
 lesimo quingentesimo quadragesimo tan-  
 quam contumaces fuere damnati, lata  
 in eos hac terribili ac severa sententia,  
 vi cuius omnes Merindolani incolæ ro-  
 gi supplicio afficerentur, ac dirutis, fo-  
 loque æquatis eorum ædibus, sylvis ac  
 receptaculis, insuper eorum bona Regis  
 ærario addicerentur, ipsi vero Regno  
 proscriberentur, ac denique in eorum  
 hortis arbores, pomaria & circumvici-  
 næ sylvæ excinderentur. Hujus sen-  
 tentiæ executio propriis demandata fuit  
 Judicibus, qui pro more Aquis, Tourvii,  
 Aptæ Julii, atque in S. Maximini oppi-  
 do jura dicebant. Horum nonnulli exe-  
 cutionem differri petebant, verum con-  
 tendebant alii, potius eam omnibus vi-  
 ribus urgendam esse; hos inter præci-  
 pui erant Aquensis, atque Arelatensis  
 Archiepiscopi, spondentes, quod hu-  
 jus belli expensas pro parte ferre vel-  
 lent.

## §. LXIII.

*Hujus sententiæ executio adhucdum  
 dilata.*

Cum interea hæc quæstio ultro citro-  
 que agitaretur, totum negotium dif-  
 ferebatur, id impetrante Nobili quodam  
 Arelatensi nomine Allensio, qui hanc in  
 rem

Sæcul. XVI  
 A. C. 1544.

*Sleid. Thes.  
 l. c.*

*Duplex hist.  
 de France vie*